



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1100. Usque Ad Annum 1143

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1762**

**VD18 90117999**

§. 14. Ecclesia Hierosolymitana. Fulco Rex.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66385](#)

## §. XIV.

Sæcul. XII.

A.C. 1131.

*Ecclesia Hierosolymitana. Fulco Rex.*

Hierosolymæ Stephanus Patriarcha factis functus est anno millesimo centesimo trigesimo, biennio, ex quo Pontificatum suscepserat, neendum completo. A non nullis veneno periisse dicebatur. Illud vero exploratum esse ferebant, ipsum Regi Balduino, se in ultimo morbo invisenti & interroganti, ut valeret, respondisse: *Domine, in eo statu sum, in quo me esse voluisti.* Stephani Successor fuit Guilielmus S. Sepulchri Prior, vir simplex & in literis mediocrem in modum versatus, sed optimo vultu & a moribus commendatus. Natione Flandrus erat, Regique & Principibus & toti populo carissimus, annos quindecim Sedem Hierosolymitanam tenuit.

G. Tyr. 13.

c. 25.

c. 26.

c. 28.

Anno sequente millesimo centesimo trigesimo primo Rex Balduinus, sentiens se propediem moriturum, e palatio, abjectis omnibus Dignitatis suæ insignibus, egressus, in Domum Patriarchæ deferri voluit, quo Sancti Sepulchri Ecclesiæ prior esset. Ibique vocatis ad se Melisandæ filiæ suæ natu majori, Comiti Fulconi Genero suo, ipsorumque filio Balduino, annos duos nato, cum Patriarcha, Episcopi & complures Optimates praesentes essent, Regnum, liberissimam potestatem

XXV statem

Sæcul. XII. statem & paternam suam Benedictionem  
A.C. 1131. impertitus est. Mox habitum Monachi  
indutus, vota se illi Instituto annexa ser-  
vaturum promisit, si convalesceret. Ita  
obiiit Rex Balduinus Burgensis vigesima  
prima Augusti anno millesimo centesimo  
trigesimo primo, & penes duos Antecessores  
suos ad Sanctum Sepulchrum sepul-  
tus est.

Fulco Balduini gener & Successor  
*Lib. XIV.* prius erat Comes Andegavensis, Ceno-  
manensis & Turonensis, Filius Fulonis  
Rechini, & Betradæ seu Berteleæ Mont-  
fortiæ, quæ deinde Philippo Regi nu-  
psit. Fulco junior primis nuptiis dux-  
rat Guiburgam filiam Eliæ Comitis Ce-  
nomanensis, ex qua duos filios & duas fi-  
llias suscepit. Uxore autem defuncta  
Hierosolymam peregrinatus est, ubi an-  
no uno centum equites suis sumtibus  
alens, Regis Optimatumque gratiam  
init. Domum postea reversus, liberis  
suis in matrimonio collocatis & compon-  
sitis Reipublicæ negotiis, a Rege Baldu-  
ino Hierosolymam revocatur, qui eum in  
generum elegerat. Porro Fulco solemni  
Ritu in Festo Exaltationis Sanctæ Crucis  
decima quarta Septembris in Ecclesia S.  
Sepulchri a Guilielmo Patriarcha corona-  
tus, quamvis tunc sexagenario major es-  
set, annis exinde decem Regno Hieroso-  
lymæ præfuit.

§. XV.